

# CENSURA

L I C E N T I A T I D. P E T R I H E R R A I Z G A V A L D O N,  
*in Suprema Curia Catholicae Majestatis Advocati.*

**E**X commissione Domini Licent. D. Alphonsi Rico, & Villaroël, Dignitatis, & Capellani Majoris Sanctae Ecclesiae Magistralis Complutensis, & hujus Curiae Vicarii, vidi libens, & legi libentius duos libros aptè concinnatos per Dominum D. Aegidium de Castejon, Equitem Ordinis Militaris Alcantaræ, Catholicæ Majestatis à Consiliis, & in Regali Castellæ Consilio Senatorem meritissimum, & in Supremo Belli Senatu Assessorem integerrimum, cum titulo, *Aphabetum Juridicum, Civile, Canonicum, Theoricum, Practicum, Morale, atque Politicum.*

Et circa Dominum Authorem Magistrum, Dominum meum colendissimum, illicò venit mihi in mentem illud Job. cap. 31. *Quis mihi tribuat, ut librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Ut de operis eximia utilitate dubitare non possem pro splendore natalium, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis, assidua doctrina, antiquo magisterio, exercitata sapientia, & pro copiosis totius literaturæ divitiis, quibus condecoratus existit.

Circa ipsius Operis censuram, ex ore Cassiodori *var. lib. 9. epist. 24.* dicebam: *Inconveniens res est, disceptationi subdere, quod vix possumus sub admiratione predicare. Tanti viri quippe non examinanda, sed veneranda sententia est.* Et tamen quoniam jussis parère cogor, eadem tenuitatis & humilitatis ratio, quæ me excusare videtur ad dicendum, cogit ad obediendum: cum ex Censoris officio non desinam esse discipulus. Gratanter igitur adimpleo, quæ ille constituit, cujus reverentia me ita constringit, ut sine dubitatione faciam, quæ illum decrevisse cognosco; & dicam liberè, & affectuosè proferam, quæ sentio.

Studiorum instrumenta, libri videlicet utriusque Jurisprudentiæ, & de re Morali, & Politica tractantes, in tanta, & tam varia volumina creverunt, ut vix tota vita indices perlegere sufficiat, & onerat discentem turba, non instruit. Separare ex diversa lectione congesta, ut melius distincta serventur; & unum ex multis, aut duo facere volumina, ut lectio certa proficit, & quasi lumine ostensos studiosos dirigat, & in desideratum Portum manuducat, ubi multæ artes & quæstiones selectæ, multa præcepta, multarumque rerum, & ætatum exempla, sed in unum intentione animum erudire, mores, non verba componere, ad bonam mentem formandam, & ad profectum omnia dirigere, & quærendi, & custodiendi scientiam docere. Quod totum reperitur in his libris, sine commendatione partium singularium in universum magnificis.

Absit ut in hoc Opere pulchro, valido, acri, sublimi, vario, eleganti, puro, spatioso, & magna cum laude diffuso, aliquid vel Fidei nostræ dissonum vel optimis moribus obrepat. Dignissimum propterea judico, ut in communem utilitatem publicam lucem aspiciat. Sic ex animo sentiebam, matriti die 12. Julii, anno reparationis humanæ. 1677.

Lic. D. PETRUS HERRAIZ,  
GAVALDON.

LICECIA

INDEX